

Ye  
3509

XI, 84.

A C A D E M I A E  
VVITEBERGEN.  
SIS STV D I O S I S , NEC NON  
vniuersis, salutem, & diuturnam  
incolumitatem

D I C I T

IOHAN. IESSENIVS à IESSEN,  
Doctor, Anatomes & Chirurgiae Pro-  
fessor pub.



V V I T E B E R G A  
Typis Gronebergianis.  
M. D. X C V I.

## 聖母無原罪

[tinyurl.com/2345678](http://tinyurl.com/2345678)

July 20, 1900

**M**vtationes temporum; ingenue Lector,  
maximos parere morbos, 3. Aphorisi: I. gra-  
uis autor Hippocrates. Idem is pulchriori,  
I. de dieta libro, fabrorum ferrariorum,  
& fullonum ostendit exemplo: Quod illi igni, vicissim  
& aqua ferrum doment: Hi multo attritum pannum &  
calcatur, multaque & supplosione & maceratione, id  
moliant. Crebraenam & validam illam commutationes,  
quam res etiam firmissimas debilitent, atque confrin-  
gant, nemo satis expresserit. Id si tantum in ferro, in me-  
tallis, in saxis potest: Quid non in imbecilli hominis  
corpore celi ventorumque mutatio ac violentia, multò  
etiam magis valebit & efficiet? Rarius quidem atque  
mitius hyeme, quam alijs anni temporibus propter na-  
ture & unitum robur, & humorum a frigore concretionē,  
inq̄ vasis quietem, agrotant homines. Morborum ta-  
men seminaria, collecta plenitudine, intus concludun-  
tur. Vere autem ex fusione & humorū putredine mor-  
bi exoriuntur: Varij hi quidem, pro cuiusque hominis,  
loci, natura, etate, victus ratione, temperamento, &  
insigni partis alicuius infirmitate. Humores enim,  
antea coacti, cum liquantur, fusi ampliorem locū postu-  
lant: unde nobilia viscera, ab horum effusione repleta,  
distenduntur, ab eorundemque incursu grauius commo-  
duentur.

uentur. Si sanguis æstuoso fluxu per totum feratur cor-  
pus, febres continua: Si in partem aliquam decumbat,  
inflammationes exoriuntur. Flauabilis, si citra putre-  
dinem in habitum sese effundat corporis, morbus regi-  
us: cum putredine tertiana: Si in partem aliquam e-  
labatur, herpetes: Si sanguis tenuis & biliosus sit, ery-  
sipelas fit. Atra bilis, si per cunctos corporis artus sine  
putredine spargatur, elephantiasin: putredine affecta,  
quartanam febrim: in certa parte collecta, carcinoma:  
in cutem effusa, vitilinem nigrum gignit. Pituita,  
toto corporis habitu excepta, nulla præsentे putredine,  
eam hydropis speciem, quam hyposarca dicunt, accersit:  
putrefacta quotidianam: Certa corporis parti affixa  
liquidior, œdema: Crassior scirrum: Cutis subiecta,  
vitilinem albam efficit. Serosa denique corporis sub-  
stantia, cuiusmodi alias lotijs, alias sudoribus excidere  
solet, si flatus permisti, tympanitin: Absque his thora-  
cis, abdominis, uteriq; asciten procreat. In cute verò  
modò pustulas, modò pruritum, eò, quò in carnem alti-  
us confederit, aut crassior fuerit, per uicaciorem. Ve-  
rūm ut Bruma frigus suo foris contactu cutem contra-  
bit, densat, stipat; Et humores omnes intrò pellit co-  
gitq;: Ita Ver sua clementia, suau & dulci calore, cu-  
tem corpusq; totum aperit, & quasi è carceribus humo-  
res

reueocat, & ad se foras elicit, præcipueq; omnium san-  
guinem, qualicunque eum demum humore alio permi-  
stum repererit. Vnde si cubi pars vlla eximiè imbecilla  
est, tumor protinus in ea pro humoris natura enasci-  
tur. Si totum vincitur corpus, febris incenditur. Non  
Veris profectò malignitate & violentia, sed eo, quod  
cunq; infirmissimū est, motioni illi, & tanquam tempe-  
stati, succumbente, ab Hippocrate libro de aëre, aquis,  
& locis, appellato. Ut verò aliæ temporum constitutio-  
nes, morborum quodammodo effectrices & conserua-  
trices sunt: Certè autumnus, qui Hippocrati, abortus  
Arcturi circiter Idus Septemb. ad Vergiliarum circi-  
ter tertium Idus Nouemb: occasum, circumscribitur,  
multò deteriore conditione, ut vulgo etiam pestilens,  
medicis morbosus appelleatur. Nam cùm Autumno æ-  
statis in hyemem fiat transmutatio: Id autem, quod  
mutatur, partim sit in termino à quo, & partim in  
termino ad quem: Ab aestate, cuius extremum est, siccii-  
tatem cum quodam calore habet: Ab hyeme verò, cui  
se applicat, cum quodam humore frigiditatem. Fit ita-  
que, ut propter inæqualitatem, & repentinam caloris  
& frigoris in aëre mutationem, calor natius, aestate  
penè dissolutus, intrò forasq; variè agatur, indeq; sei-  
pso imbecillior reddatur. Hanc iniuriam duæ aliae au-

A 3 gent.

gent. Nam & bilis, torrida estate aceruata, frigore,  
quod apertis poris facile subiit, intus cohabetur: Et  
diætæ vitium, fructuumq; usus, intercepta transpira-  
tione, putredinem accersit. Vnde sic astricta alio, quic-  
quid humidi in intestinorum spiris retentum est, facile  
putreficit, putrefactum eadem vellicat, mordet, vel-  
utiq; scabiem & ulcera, excitare, dysenteriasq; ac te-  
nesmos præstare solet. Ut igitur tribus modis Autu-  
mnus noxior: Ita tripliciter sub eo morbi difficiles. Pri-  
mùm specie, quia atrabilarij. Deinde, qua humoribus  
dominari nequeunt, virium infirmitate. Tertiò tran-  
spirationis suppressione, & maligna putredine. Quid  
ergo mirum, plures hisce & difficilius laborare anni  
temporibus? Quid itararum, frequentiora esse fune-  
ra? Quemadmodum enim maturius Ver niues dis-  
soluit subito, & atrocia inuehit diluuiā: Ita coactos  
in toto corpore, maxime verò in cerebro humores, colli-  
quat & fundit, eos quibusdam in guttur præcipitat,  
alijs anginas, peripneumonias, pleuritides, phrenitides,  
ophthalmias, diarrhœas, tusses, grauedines: senioribus  
apoplexias & paralyses inducit.

Huiusmodi plane affectus sporadici, superioribus a-  
liquot septimanis, sub epidemia simpliciter ita dictæ,  
specie

specie, nostrum oppidum, vicina, tum distantiora loca  
afflixere. Nos ipsi, inter tot agros, quorum plurium ex-  
orati curam gessimus, & paucorum adhuc sustinemus,  
affectu pari correptum nullum sensimus, è quibus et-  
iam unicus tantum, cui iuxta 34. Sect: 4. Aphor: febre  
detento, suffocatio derepentè superuenerat, in faucibus  
existente quidem, sed non conspicua, anginosa phlegmo-  
ne, strangulatus perijt, nec se ullum, quod malignita-  
tis anima, contagium exeruit. E cohabitatoribus et-  
iam sine præseruatione sociorum nullus correptus. Æ-  
grorum quoque antidoto nemo, sed indicationum tan-  
tum methodo curatus. Quorum omnium agri ipsi, astan-  
tes, & qui ad praxin nos comitati, sponte sua testes fu-  
turi. Nescio tamen, qua audacia, vespertiliones qui-  
dam, aut quicunque illi sunt, imperita temeritate, af-  
fectus hos, ipso pestilentiae, omnibus formidabili, nomi-  
ne, exprimere, tamq; abominabilis, grassatura paulò  
post, instar cuiusdam incendij pestis, ominis, viros in-  
noxios, à tanta leuitate per omnem vitam alienos, si-  
nistros augures diffamare, & sub hac autoritatis larua  
intempestium metum timidioribus incutere, fugam  
suadere, cætus scholastici dissipacionem unicè optare,  
atque sic quasi cacodæmonis centuriones, cohabitationi-  
bus, honestisque & pijs exercitijs extremè insidiari, non  
veriti

veriti sint. Illos ego temperantiis in posterum ut lin-  
gua utantur, nec tanto committant lubrico, sine stoma-  
cho admonitos volo: Hos verò securiori & meliori pau-  
lò, procul omni abacto metu & formidine, nullius  
quando mihi, gratia DEI, periculi consci-  
us sum, animo esse, & longum fe-  
liciter vivere jubeo.

P. P. VVitebergæ Dominica Palmarum,  
Anno Christianorum,

C I O I O X C V I





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-144268-p0011-4

DFG



Ye 3509.

ULB Halle

001 340 646

3



Sb

VDZ

W.C.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-144268-p0014-0

DFG

B.I.G.



# A C A D E M I A E VVITEBERGEN.

S I S S T V D I O S I S , N E C N O N  
vniuersis, salutem, & diurnam  
incolumitatem

D I C I T

JOHAN. IESSENIVS à IESSEN,  
Doctor, Anatomes & Chirurgiae Pro-  
fessor pub.



VVITEBERGEN

Typis Gronebergianis.

M. D. X C V I.

